

Leg 24 eusodemo 3^o 1891

ORATIONIS CONCEPTUS,

PRO INAUGURANDIS

IN SEMINARIO CONCILIARI VICTORIENSI,

ACADEMICIS AULIS,

PUBLICÉ RECITATUS

A DRE, D. NORBERTO ALDASORO,

EJUSDEM SEMINARII

TEOLOGIAE DOGMATICAE ET LOGICAE PROFESSORE,

NECNON VICE-RECTORIS MUNERE GAUDENTE.

Kalendis Octobris Ann. Dom. a 1884 ad 1885.



VICTORIAE:

TYPIS CIPRIANI A GUINEA.

—
1884.

philosophie de H. Tames

ORATIONIS CONCEPTUS,

PRO INAUGURANDIS

IN SEMINARIO CONCILIARI VICTORIENSI,

ACADEMICIS AULIS,

PUBLICÉ RECITATUS

A DRE. D. NORBERTO ALDASORO,

EJUSDEM SEMINARII

TEOLOGIAE DOGMATICAE ET LOGICAE PROFESSORE,

NECNON VICE-RECTORIS MUNERE GAUDENTE.

Kalendis Octobris Ann. Dom. a 1884 ad 1885.



VICTORIAE:

TYPIS CIPRIANI A GUINEA.

—
1884.

HTCA

U/Bc LEG 24-3 n°1891



UVA. BHSC. LEG 24-3 n°1891

1>0 0 0 0 6 5 6 4 3 0

ORATIONIS CONCEPTUS

PRO INAUGURANDIS

IN SEMINARIO CONCILIARI VICTORIENSIS

ASSUMPTIO

PUBLICE RECITATUS

A DNE. D. ROBERTO ABBASO.

ILLUSTRI SEMINARI

THEOLOGICAE DOGMATICAE ET LOGICAE PROFESSORE,

VIENNAE VICE-RECTORIS MUNERE GAUDENTE.

Viennae die 10. Julii 1884.

ILLME. ET RME. DOMINE:

Vobis adhuc, praeclarissimi auditores, in mente cum gratissima recordatione versatur celeberrima illa dies, in qua hujusce Seminarii Moderator orationem sapientissimis verbis ornatam pronuntiavit. Qua de causa nos omnes et insolita laetitia fuimus affecti, et maximas Deo optimo Maximo gratias agendas putavimus, eo quod, calamitossimis temporibus non obstantibus Dioecesis Victoriensis nobilissimo Seminario potiretur. Cujus quidem beneficii auctores, nemo est, qui non noverit; vigilantissimus enim nostrae Dioecesis Praesul necnon humanissimi cives in disciplinis et integerrimis traditionibus majorum suorum edocti, omnes, inquam, una concurrerunt.

Quantumvis vero in hoc Conciliari Seminario, quod Divo Prudentio et Ignatio dicavimus, omnia, quaecumque ad bonam corporis temperiem acquirendam conservandamque pertinent, contineantur, tamen humanae fragilitatis et naturae nostrae imbecillitatem, etsi inviti, sumus experti. Ast cum divinae semper voluntati addicti manserimus, etiam cum illa scripturae sententia in nobis fuerit adimpleta "Extrema gaudii luctus occupat," ideo, ut credo, non multum temporis spatium illud infortunium occupavit.

Scholaribus enim paulo post evocatis, scholae et studia multo majori animi fervore sunt instaurata, ita ut illi quip-

pē scientiarum avidi, tum sua assiduitate tum etiam Professorum diligentia non parvos perfecерint progressus. Utinam Deus optimus Maximus, serenissimo respicere vultu dignetur hos omnes juvenes ad hoc scientiae, virtutisque Seminarium accedentes, in hunc unum scopum spectantes, ut nempe, et Deo placeant, et religionis et societatis digni operarii efficiantur!

Sed absit a vobis, studiosissimi adolescentes, ad quos praesertim has sententias proferendas putavi, absit, inquam, a vobis existimare me nunc temporis nova quaedam et inusitata dicturum; nihil enim quod vos non bene caleatis, in mea oratione pronuntiabitur; oportet namque potius quam nova discere, illa quae jam sciuntur, accurate solideque perpendere. Itaque etiam ego in hac occasione in vestram memoriam revocare cupio, aliquas Divini spiritus sententias. Recordamini, quaeso, illius proverbii: "Stude sapientiae, fili mi, ut possis exprobranti respondere sermonem:" (Heu quot in nostris diebus stant homines, qui videntur vera scientia pollere, sed qui revera intus pleni sunt dolo.) His igitur directe adversari debemus, ita ut nostra scientia de illorum ignorantia egregias victorias consequatur. Ita tuti semper erimus, et illud Apostoli monitum servabimus: "Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem falaciam." Verae igitur philosophiae partes defendendas suscipite, ut ita tum decus et honorem coram hominibus obtineatis, tum etiam utiles catholicae Ecclesiae et societati efficiamini.

Sed cum tot philosophiae scholae veritatis jus sibi vindicent, ut sunt nimirum scholae, in quibus docetur Pantheismus, Empirismus, Rationalismus, Idealismus sive transcendentalis sit sive vulgaris, Sensualismus, Krausismus, etc. oportet accurate veram philosophiam inquirere, ne eam cum sophistica confundamus, Veritas enim quippe una, in omnibus existere nequit. Unaquaeque namque Schola omnes alias evertit, ut se suaque confirmet. In qua ergo vera philosophia reperietur? En responsionem.

Audite, quaeso celeberrima verba quibus Summus Pontifex Leo P. XIII, Reverendissimos totius orbis Episcopos alloquitur: "Vos omnes, Venerabiles Fratres quam enixe hortamur ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream Sancti Thomae sapientiam retineatis. Inter scholasticos Doc-

lores omnium Princeps et Magister eminet Thomas Aquinas, qui, uti Cajetanus animadvertit, veteres doctores Sacros, quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitur. Illorum doctrinas velut dispersa cujusdam corporis membra in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium jure meritoque habeatur; nulla est philosophiae pars, quam non acute et solide pertractarit."

Si ergo Sacrae Religionis, necnon societatis bono, consulere exoptamus, omnium nostrum cura sit Angelici Doctoris vestigiis insistere, illiusque philosophica studia assidue pertractare. Ita fiet, optimi juvenes, ut nedum omni vento doctrinae circumferamini, potius philosophorum pravorum figmenta calcare possitis. En apertum opus vestri causa et amore a me susceptum.

Ast cum jam alias in Sacra Angelici Doctoris die hoc ipso in leco maximo splendore peracta, caeteras tanti magistri philosophiae partes pertractarim, peroportunum duxi, praecipuas Psychologiae veritates nunc ante oculos vestros ponere; magna quidem maximique momenti quaestio iis praesertim temporibus, quibus caro tantopere super spiritum extollitur, et animae humanae spiritualitas et immortalitas inficiatur vel in dubium vertitur. Quapropter rogo vos, ut erga me animos vestros benevolos intendatis.

ILLME. ET RME. DOMINE:

Inter nobilissimas philosophiae partes nulla sine dubio nobilior Psychologia, nam teste Tullio, "illud quidem vel maximum est animo ipso animum videre." Omnibus etiam apertum est illud antiquitatis effatum "*nosce teipsum*," per quod scientiae Psychologicae praestantiam ejusque maximam utilitatem cognoscimus.

Agit enim de anima rationali, omnibus rebus creatis praeter angelicos spiritus excellentiori, ejusdem animae potentias exquiril sine quarum cognitione perfecte veritas de natura humana reperiri nequit. Attamen quantumvis per conscientiae testimonium nihil animae existentia apertius appareat, intimiorem tamen naturam et essentiam suamque cum rebus extra se positis relationem perdifficile est

perscrutari; magna enim atque intensiori meditatione opus est ad resolvendum; "Quid homo sit."

Disciplinam Divi Thomae profitentibus, homo est substantia perfecta ex corpore composita et anima rationali; sed haec duo principia naturae humanae constitutiva in ordine essentiae et personae perfecta non sunt, nam nec corpus nec anima personam completam constituere possunt, si sejunctim perpendantur, sed ex utraque unione coalescit.

Hinc accurata subsistentiae notio homini et non animae jure attribuitur; anima enim post corporis dissociationem intellectivas tantum operationes exercere potest, et ideo incomplete subsistens dicitur. In errorem ergo Lokium incidisse diserte colligitur identitatem personae ex identitate conscientiae internae pendere asserentem; ex hoc enim sequeretur amentia laborantes, puerosque ante rationis usum personam amittere et in omnibus continuo immutari, quod palam falsum; siquidem experientia teste saepe in nobis conscientia immutatur.

Prima hujusce doctrinae lineamenta Cartesius exaravit, cum essentiam mentis humanae in cogitatione repositam esse statuit, quam assertionem aequum non est propugnare, nam ut merito Divus Thomas: (1) Cogitatio est actio mentis humanae. Fieri autem non potest ut actio cujuscumque rei creatae sit ipsa ejus essentia; ita enim illa essentia esset suamet actualitas, atque adeo actus purus excludens quamlibet potentialitatem, esset namque ipsa operatio, quae est ultimus actus substantiae operantis. Praeterea si cogitatio esset humanae mentis essentia, cum mens humana substantia sit, eaque per se subsistens, cogitatio ejus per se subsisteret. Intelligere autem per se subsistens non potest esse nisi unum, scilicet Deus, cujus intellectio est ipsa ejus substantia, mens igitur humana non distingueretur a substantia Dei, et hoc esset cum Democrito et Epicuro sentire, quos seculus fuit Spinoza, qui Deum ab universo non distinxit, indeque affirmavit animam sive mentem hominis modificationem quamdam esse divinae substantiae; et hoc omnino impossibile, evidenter ostendit Divus Thomas: (2) Deus, ait, est omnino

(1) Pars. I. quaest. 54.

(2) Sum. cont. gent. lib. II. cap. 85.

invariabilis; si enim variaretur, mutaretur, ideoque ei, vel aliquid adveniret, quo primo caruisset, vel aliquid amitteret, quod prius habebat, neque proinde esset infinite perfectus. Anima autem variatur; transit enim ab ignorantia ad scientiam, a vitio ad virtutem, et e contra, transit enim perpetuo ab una ad aliam operationem." Non potest igitur anima esse ex divina substantia. Et Sanctus Augustinus. (1) "Nequit esse magis signum superbiae, quam ut dicat se humana anima hoc esse, quod Deus est, cum sub tantis vitiorum et miseriarum molibus gemat."

Inter tot tamque dissimilia ingenii monumenta, quae Angelicus praeceptor posteritati mandaverit, in nulla re praeclaras sui animi dotes profudisse videtur ut in animae humanae quaestione. Omnia fere argumenta, ait Raulica, quae ad hoc propositum attinent, et a recentibus philosophis tanquam summa suarum disquisitionum adducta, in Praeceptoris Angelici operibus, aliquo modo reperiuntur. Caelesti scientia, qua praeditus erat, horum sophismata, de quibus loquitur Apostolus: (2) "Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei," omnia plene contrivit. Tam accurate diligenterque de his rebus disseruit, ut immortalitatem animae rationalis lumine naturali evidenter ostenderet; haec enim veritas meditationis psychologicae caput esse debet, ingentemque fructum societati affert et religioni. Ut autem plenius haec quaestio percipiatur, quid pro anima rationali intelligatur, definire opus est. Anima enim rationalis est: "substantia simplex et pure spiritualis, quae ad informandum substantialiter corpus hominis destinatur." Substantiam esse rationalem animam sensus intimus aperte nobis testatur, nam ego, qui modo cogito et volo, sum ille ipse ego, qui cogitabam et volebam, judicabam octo, decem abhinc annis. Cogitationes et judicia veniunt et transeunt, sed ego cogitans et iudicans ipse persevero. Essentialiter simplicem esse, non simplicitate absoluta, haec enim dumtaxat Dei propria est, omnia namque entia creata adhuc angeli actu et potentia constant, sed relativa; ex intellectione objectorum simplicium et ex unitate intellectionis apertissime colligitur. Omnis namque actio naturam principii, à quo

(1) In II sup. Genes. cont. Manich. cap. V.

(2) I. ad Cor. vers. XIV.

procedit, ostendit, et ipsius actionis essentia ex natura ob-
jectorum, ad quae dirigitur et circa quae versatur, clare in-
tuetur; et cum rationalis anima objecta simplicia, spiritualia
et universalia intelligat secundum suam naturam, simplex
esse debet. (1) "Si corporea enim corporeis oculis mira
quadam rerum cognatione cernuntur, oportet animum,
quo videmus illa incorporalia, corporeum corpusve non
esse."

Spiritualitate, immaterialitateque animam humanam
donari, his verbis Divus Thomas demonstrat.

1.^o Si anima hominis esset corpus, actiones ejus ordi-
nem corporeum non excederent; actiones enim debent esse
proportionales principio, a quo eliciuntur. Si ergo anima
esset corpus, non cognoceret nisi corpora. Cognoscimus
autem multa, quae non sunt corpora; Quis enim dixerit
conceptus universales entis, veritatis, virtutis, etc corpora
esse? Anima igitur hominis non est corpus proindeque
incorporea.

2.^o Deinde. Nullum corpus est actu infinitum. In nullo
autem corpore finito, reperiri potest vis seu potentia infini-
ta. Est autem potentia animae quodammodo infinita in
intelligendo; potest enim species numerorum in infinitum
augere ipsasque negativas quantitates in infinitum dividere,
et similiter species figurarum et proportionum. Nequit ergo
anima intellectiva esse materialis.

3.^o Denique. Nullius corporis actio reflectitur supra
agentem; nullum enim corpus a seipso movetur, nisi secun-
dum partem, ita scilicet, ut una pars ejus sit movens et
altera mota. Intellectus autem reflectitur supra seipsum,
intelligit enim se intelligere. Nequit ergo anima intellectiva
esse corporea seu materialis.

Cum strictissima conjunctio inter spiritualitatem, immor-
talitatemque existat, immortalem ab intrinseco rationalem
animam esse deducitur, nam ut optime Angelicus Doctor:
(2) "Non invenitur corruptio nisi ubi invenitur contrarietas.
Generationes enim et corruptiones ex contrariis et in con-
traria sunt. In anima autem intellectiva non potest esse
ulla contrarietas. Recipit enim ea quae recipit, ad modum

(1) S. Aug. in lib. de quant. animae. cap. XIII.

(2) Sum. Theolg. part. I. quaest. 75. art. 6.

IX

sui esse. Ea vero, quae in ipsa recipiuntur, sunt absque contrarietate, quia etiam rationes contrariorum in intellectu non sunt contrariae, sed est una scientia contrariorum. Impossibile est igitur ut anima intellectiva sit corruptibilis. "Et in Sum. cont. gent. (1):" Nulla res corrumpitur ex eo, in quo consistit sua perfectio. Perfectio autem animae humanae consistit in abstractione quadam a corpore, perficitur enim anima scientia et virtute. Secundum scientiam autem tanto magis perficitur, quanto magis immaterialia considerat; virtutis autem perfectio consistit in hoc, quod homo corporis passiones non sequatur, sed eas secundum rationem temperet; non ergo corruptio animae consistit in hoc, quod a corpore separetur. Si igitur anima secundum operationem suam perficitur in relinquendo corpus et corporea, substantia sua in esse suo non deficiet per hoc, quod a corpore separetur. Et ibidem. Impossibile est appetitum naturalem esse frustra; sed homo naturaliter appetit perpetuo manere, quod patet ex hoc, quod esse est, quod ab omnibus appetitur; homo autem per intellectum apprehendit esse non solum ut nunc sicut bruta animalia, sed simpliciter; consequitur ergo homo perpetuitatem secundum animam, qua esse simpliciter et secundum omne tempus apprehendit." Plurimis aliis argumentis haec veritas, quae tantum solatium humanis cordibus affert, evidentissime a Divo Thoma demonstratur.

In animae immortalitate exponenda tantisper sum immoratus, ut doctrinae Antonii Arnauld falsitas perspicue appareret; asserit namque neminem animae immortalitatem solide ante Cartesium demonstrasse. Si Doctrinam Angelici Doctoris plurimorumque aliorum Ecclesiae Patrum salutasset, praedicta verba utique non protulisset.

Anima autem intellectiva cum superior et perfectior sit vegetante et sentiente, istarum perfectiones eminenter in se continet, secundum illud axioma, "quae sunt unita in inferioribus, adunantur in superioribus."

Praestat igitur in homine rationalis anima quidquid vegetativa in plantis et sensitiva in animalibus et amplius. Quomodo autem hoc contingat, inquit Divus Thomas, de facili considerari potest, si quis differentias specierum et

(1) Lib. II cap. 55.

formarum attendat. Inveniuntur enim rerum species et formae differre ab invicem secundum perfectius et minus perfectum. Sicut in rerum ordine animata perfectiora sunt inanimatis et animalia plantis et homines animalibus brutis, et in singulis horum generum sunt gradus diversi. (1) Comparat etiam diversas animas (2) speciebus figurarum quarum una continet aliam; sicut pentagonum continet tetragonum, et excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute, quidquid anima sensitiva brutorum et nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies quae habet figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona et per aliam pentagona, ita nec per aliam animam Socrates est homo et per aliam animalis sed per unam et eandem. His verbis tridynamismum Platonium rejicit, qui triplicem animam in homine possuit, intellectivam nempe in caerebro, sensitivam in corde et vegetativam in jecore, etiamque duodynamismum Manicheorum, qui duas in singulis hominibus animas delirarunt alteram bonam, alteram malam, istam propriam carnis a principio malo, illam ex adventitia Dei parte, et omnia quidem hominis bona, priori illi animae, omnia mala posteriori tribuebant.

Principiis psychologicis, quae Angelicus Doctor tam praestanter in suis operibus signavit, omnes Vitalismi species sive moderati sive sensibilis impugnantur. Vitalismo tantummodo in sistemalibus Platonis et Cartesii locus esse potest; cum sententiam enim tueantur animam corpori uniri ut motor mobili, nihil obstat, quominus idem subjectum mobile a diversis motoribus moveatur; sed nullo modo in doctrinâ Divi Thomae; iterum enim atque iterum in suis scriptis edocet unionem animae humanae cum corpore essentialem esse, (3) nam ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas naturae et personae. Naturae quidem, secundum quod anima unitur corpori formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus fit una natura, sicut ex actu et potentia vel materia et forma... Uitas vero personae constituitur ex eis in quantum est unus aliquis, subsistens in carne et anima.

(1) Pars. I quaest. 76.

(2) In lib. III de anima.

(3) Pars III quaest. XI. art. I.

Et in Sum. Cont. Gent. (1) evidenter animam humanam formam substantialem esse corporis humani exponit. Ad hoc, inquit, ut aliquid sit forma substantialis duo requiruntur—1.^o quod sit principium essendi substantialiter, cujus dicitur forma: principium non efficiens sed formale, quo subjectum constituatur et denominetur ens: 2.^o quod forma et subjectum, cujus dicitur forma conveniant in uno esse, in quo simul subsistunt forma et materia, ut in una substantia completa; et cum anima humana principium sit essendi substantialiter corpori nostro, quod non est essentialiter humanum, nisi ab anima humana, et anima et corpus subsistunt in unitate nedum personali sed essentiali et specifica hominis, sequitur animam humanam corpori nostro uniri ut vera ejus forma substantialis. Et in quaest de anima: (2) Id quo corpus vivit est anima; vivere autem est esse viventium. Anima igitur est, quo corpus humanum habet esse actu. Hujusmodi autem forma est. Est igitur anima humana corporis forma. Hanc doctrinam iisdem verbis docuit Concil. Viennense in Clementina de Summa Trinitate.

Porro, doctrinam omnem, ait, seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam veritati catholicae, et inimicam fidei, praedicto Sacro approbante Concilio reprobamus. Denique Pius IX cojus res gestae omnium gentium litteris atque linguis celebrabuntur, errores Guntherd dam-nans hoc ipsum sua auctoritate munivit in suis Litteris apostolicis ad Archiepiscopum Coloniensem (1857.)

Ex hac doctrina plane infertur per se atque immediate animam humanam corpori uniri et esse radicem seu principium sufficiens, unicum, vitale et substantiale, a quo originem ducunt omnes operationes vegetativae, sensitivae et intellectuales, aliter enim evanesceret unitas specifica naturae et suppositi seu personae humanae.

Quantumvis vero anima fons et origo sit omnium actuum vitalium, attamen ab ipsa immediate non procedunt, nam

(1) Cap. 58.

(2) Art.° 1.

enim aliquem amore, gaudio vel tristitia in mortem incur-
re. Similiter etiam corporis transmutatio in animam influit,
ut cum ex vehementia passionum in sensitivo appetitu exis-
tentium obtenebratur ratio, ut judicet bonum id circa quod
homo per passionem afficitur. Et ita hoc fit quia anima vere
et physice in corpus influit et ei esse specificum et humanum
communicat. Similiter corpus eo ipso, quod informatur et
humanum ab anima dicitur et est, aliquid in eam influit,
quatenus complet naturam humanam in ratione specifica et
ideo corpus et anima sibi invicem influunt, praesertim vero
quoad illas operationes, quae formaliter totius conjuncti
sunt, ut actiones sensitivae, quia operatio sequitur esse, et
ubi habetur unum esse commune, ibi habetur actionum
communicatio. Hinc etiam provenit ut organorum disposi-
tio, corporisque complexio in majorem vel minorem perfec-
tionem facultatum et operationum nutritivae et sensitivae
vitae conferre directe possit, et indirecte in facultatibus in-
tellectivae. Nam (1) quanto corpus est melius dispositum
tanto meliorem animam sortitur. Unde cum etiam in homi-
nibus, quidam habeant corpus melius dispositum, sortiun-
tur animam majoris virtutis in intelligendo.

Ex complexione enim aliqui sunt magis aliis ad concu-
piscencias, vel iram apti. Ex his verbis perspicuum est non
omnino in doctrina Angelici Doctoris Phrenologiam sive
cognitionem facultatum et hominis propensionum per or-
ganicam partium dispositionem exagitari. Sed verum est
Phrenologiam, quam Gall, Flourens, Richerand, etiamque
Debreyne tuentur et quorum Documenta nostris diebus
traduntur, a philosophicis disciplinis Divi Thomae patenter
dissentire. Ne ergo contemptui Phrenologia ducatur; essen-
tialem distinctionem inter facultates sensitivas et intellec-
tuales statuere opus est et incolumen libertatem ad operan-
dum in homine recognoscere, quantumvis maxima alicujus
organi evolutio appareat.

Duabus istis conditionibus admitti quidem potest Phreno-
logia, non ut scientifica cognitio, caret enim principiis evi-
dentibus et immutabilibus, sed probabilis facultatum ac
hominis propensionum, quatenus per inspectionem organo-
rum, quibus constat, obtineri potest.

(1) Pars. I. quaest. 85. art.º 7.

Quoad originem denique animarum Divus Thomas Platonis et Origenis sententiam improbat, existimantium omnes animas initio mundi ante corpora a Deo fuisse creatas, et ut haereticam Apollinaris et, ut creditur, necnon Tertulliani, animas intellectivas ex traduce carnis seu propagatione parentum originem ducere. Quod demonstrat Doctor Angelicus, inquit: (1) "Impossibile est virtutem activam, quae est in materia, extendere suam actionem, ad producendum immaterialem effectum. Manifestum est autem quod principium intellectivum in homine, est principium transcendens materiam, habet enim operationem in qua non communicat corpus (ut maxime patet in statu separationis animae a corpore.) Et ideo impossibile est, quod virtus, quae est in semine, sit productiva intellectivi principii (seu animae.)

Ponere ergo animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud quam ponere eam non subsistentem et per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo haereticum est dicere quod anima intellectiva traducatur cum semine. Consonant Sancti Patres. Hieronymus enim: (2) Satis ridendi sunt qui putant animas cum corporibus seri et non a Deo sed a corporum parentibus generari. "Sanctus Leo;" catholicam fidem, inquit, constanter praedicare, quod animae hominum prius quam suis inspirarentur corporibus non fuerint, nec ab alio incorporentur nisi ab Opifice Deo.

Cum ergo animae intellectu et voluntate praeditae, substantiae immateriales et per se subsistentes sint, immediate a Deo ex nihilo creantur, easque corporibus infundit, simul ac haec organice sunt disposita ad eas recipiendas. Sed haec hactenus ex multis, quae proferri possunt super praestantissima Psychologia Divi Thomae, ut finem jam dicendi faciam.

Imperitiae meae veniam concedite, si minus perspicue de re a vobis scienter nota disseruerim.

Quid jam vero, studiosissimi juvenes, superest nisi ut vos enixe ad studium philosophiae Doctoris Angelici cohorter, cum perspicuum sit illam et munimen Religionis, et praesidium Status et fundamentum Ecclesiae et societatis esse? Curam, obsecro, adhibite ad illam adipiscendam, non

(1) Pars. I. quaest. 18. art.º 2.º

(2) Cap. 12 Eccl.

ut ab hominibus Rabbi vocemini, nec praecipitem celsitudinem nanciscamini, sed ut Religionis et Societatis bono consulere possitis. In omnibus tales vos exhibere debetis, quales ad magnam Sacerdotii dignitatem contendentes decet; ut cunctis virtutum generibus ornati, cum Ecclesiis praeficiamini, vigeant mores, plebs erudiatur, numero et merito augeatur populus fidelis; quo fiet ut vos vestraque omnia, divina ope opitulante in Dei gloriam et honorem intendentes, caelestem patriam, vera philosophia duce, adipiscamini.

DIXI.



